SI ſupremus honor meritis ſolvendus, et unquam
Exequias luctu condecorare decet:
Nunc plores, Philyre; nunc fletibus omnia turbes:
Haec tibi non uno nomine flenda dies.
Ecce, decus lumenqve tuum, MENCKENIVS, umbris
Conditur, et ſecum gaudia noſtra trahit!
Hei Vir, qvem gravitas ornabat, cunctaqve virtus;
Qviqve omnes doctae mentis habebat opes!
Vir, qvem Pierii ſumma cum laude docentem
Obſtupuit dudum gens ſtudioſa chori.
Qvi vigili ſtudio collectum prodidit orbi,
Doctrinae ſolidae qvicqvid in orbe fuit.
Ergo communes lacrymas haec funera poſcunt:
Sufficit haud moeror, qvem Domus intus habet.

Lugeat

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn356627888/116 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG